Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput VII.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

pati. Demum ut perspexit nec pacatam esse civitatem & ab Evangelio prorsus alienam; enimvero doluit sibi, post tantos itineris labores, re infecta, nulloque cum manipulo ex tanta segete discedendum: sed tota re divinæ voluntati providentiæque permissa Amanguçium remigrat, illa se cogitatione consolans, præclarum esse pro Christo magna non solùm agere, sed etiam pati.

Amangucij Rege muneribus conciliato complures Christianos facit.

Cap. VII.

Amanguçium igitur pari ferè labore & incommodo, atque inde Meacum ierat, reversus ex tempore statuit Regem convenire: eique à Prorege Indiæ Episcopoque Goano, literas ac dona, quæ Firandi reliquerat, tradere. Hæc ille munera Meacensi Regi, qui totius Japoniæ maximus fore habebatur, destinarat animo. Cæterum ubi animadvertit illum precario jam regnantem, non tam imperio magnum esse, quàm nomine, Regem autem Amangucij opibus pollere; mutata voluntate huic illa conciliandum censuit, ratus eum sibi potissimùm donis conciliandum, qui res Christianas auctoritate iuvare plurimum posset. Itaque Firandum celeriter reversus, novam Regis adeundi rationem, quam subjecerat necessitas, init. Jam usus eum docuerat, ab Japonibus; communi mortalium vitio, homines specie cultuque corporis æstimari, pannosos verò vix hominum numero haberi; perinde ac si viri decus vestitus magis quàm virtus foret. Quo circa obsoleta veste deposita, vestitus elegantiam assumere decrevit, & splendore vestis oculos speciem magis quàm vera bona spectantium capere, ut eorum deinde animis lucem afferret veritatis. Ergo cum Amanguçium remeasset, splendida in veste, duobus tribusve famulis comitantibus, adijt Regem. Et

Splendore vestis aditum sibi facit ad Regem

consilium comprobante euentu. Protinus ab asseclis ad Regem introductus ab eo sanè benignè comiterq(ue) excipitur. Paria præfatus à Prorege Indiæ & Joanne Episcopo literas amicitiæ obsides, peregrina munera amicitiæ pignora, atque in his mono-

Dona regi offert

chordum & horologium Regi tradit, non tam pretio quam nouitate & admiratione artificij, grata illis hic & accepta. Rex igitur literis utriusque Lusitanorum mirè lætus, magnum argenti auriq(ue)

Regis dona repudiat.

pondus Xauerio inuicem largitur. At ille memor se non mercatorem esse, sed sacerdotem, remissis quæ offerebantur, Regem precari enixè insistit, ut diuinæ Legis in sua ditione sibi promulgandæ, suis popularibus accipiendæ, potestatem regio faceret edicto; hoc dono nullum sibi, nullum Lusitanis dari optatius posse. Itaq(ue) Rex tantam abstinentiam admiratus, aspernantis quod alij per ingentia fretorum terrarumq(ue) pericula peterent, non dubitauit eius religioni fauere, cuius suspiceret virtutem. Extemplò

Edictum regium pro religione Christiana

igitur per omnes urbis uias pronunciare præcones jubet, placere Regi Christianam Religionem proponi suis popularibus, ut quicunque vellent fierent Christiani. Proinde ne quisquam Lusitanos Sacerdotes facto verbóve læderet, neu cuiquam patriæ sacra deseruisse fraudi foret prohibuit. Insuper, ut cum potestate facultatem daret, Xauerio manè Bonziorum cœnobium ad habitandum attribuit. Ea res & nomen Francisco & religioni existimationem conciliauit. Ergo permulti, cognoscendæ nouæ religionis auidi, ad eum audiendum confluebant. Nec illorum studijs deerat Xauerius aliqua iam ipsorum linguæ facultate nactus. Bis in die concionem ad populum habebat, magnâ semper ciuium frequentia. Ubi perorauerat, aliquantisper cum auditoribus de rebus pro suggestu expositis disceptabat. Stat enim interrogantibus respondendum

dum erat, aut ipsi invicem interrogandi. Id vero tamen alijs super alios urgentibus, plerumque ad multam noctem tenebat, vix ut esset corporis curandi locus. Nec alia res major erat impedimento, quàm Japonicæ linguæ inscitia. Quippe identidem, cum insolens aliquod verbum fastidiosas delicatásque eorum offendisset aures, Francisci infantia risui erat. Itaque non deerant qui risus captandi causa quæstionibus eum onerarent. Cæterum is orationis spiritus, ea vitæ ac religionis sanctitas, tàmque à Bonziorum vita doctrináque discrepans eminebat, ut, quod dicta non poterant, ostenderent facta. Quocirca Japones, ingeniosi utique et obsequentes rationi, haud fallebat, quàm consentanea essent illa, utcunque dicerentur. Conveniebant multi è cœnobijs Bonzij Bonziæque; plures etiam è nobilitate, è plebe verò quàm plurimi. Assiduè referta erat domus omnis ordinis hominibus: ac sæpe adventantium capere nequibat multitudinem. Interrogationes adeò multæ fuerunt ac variæ, ut illis tandem demum errorum caligine, ac luce veritatis oborta, non pauci ex Francisci responsis perspicerent, leges suorum Deorum inanes ac falsas, divinas autem veras esse solidásque. Nec in suscipienda vera religione, quàm in excutienda, segniores fuerunt. Diebus aliquot in percontando respondendóque consumptis, plures Christiani fieri; primi autem omnium ij, quorum præcipuè pervicacia Xaverio in concionibus certaminibúsque obstiterat, Deo pertinacias in facilitates vertente. Quanquam primum decus non doctrinæ fuit, sed patientiæ Fernando Francisci socio in trivio concionante ad plebem, Japon fortè quidam præteriens ad concionem accessit. Inde, ut erat homo insolens, prodit in medium, & collectam in ore salivam in concionantis os conjicit: ~~et~~ eam ille contumeliam

Fernandi virtus.

Japonis cujusdam insolentia.

adeò

adeo patienter tulit, ut nihil omnino commotus
abstersa linteo facie, inceptum persequeretur ser-
Patientia vis ad Ethnicorum conversionem. monem. Tanta patientia mirandum in modum quidam
e concione, in animum induxit suum, a viris tanta
virtute praeditis non posse religionem, nisi sanctam,
afferri. Itaque domum ad Franciscum venit, insti-
tutus, ac primus omnium baptizatur. Huius ex-
emplum alij deinceps secuti. Inter hos Lau-
rentius quidam Luscus tantum animo divinae lu-
cis accepit, ut nuntio rebus humanis remisso, to-
tum se Deo consecraret, magno cum Japoniae e-
Laurentius Luscus concionator egregius molumento. Is namque in Societatem a Xaverio
adscriptus, egregius deinde concionator extitit; po-
pularium suorum quam plurimos ad Evan-
gelij lumen adduxit. Baptismate deinde lustrati
honesti homines multi, qui summa Francisco
familiaritate devincti, tantopere ei gratificari
studebant, nunquam ut satisfacerent sibi. Quo-
circa de Japonum sectis ac religionibus ab illo
interrogati, impensius etiam, quam rogabant,
omnia prodebant.

Cognitis Japonum Sectis complures eorum convertit.

Caput VIII.

Japonum sectae. Ex his igitur ille longe accuratius quam antea
Japonicas religiones disciplinasque cognovit; se-
ctas vigere in Japonia tam virorum, tum foemi-
narum omnino novem: liberum cuique esse,
quam velit, sequi. Itaque evenire ut in eisdem
saepe tectis, quot capita, tot pene sint disciplinae;
domesticique inter se contendant, suam quisque
alijs praeferre conantes: Ex hisce sectis nullam
de mundi animorumque procreatione quicquam
tradere. Nimirum idcirco, quod nullum hom(inum)
esse principium consentiant universae. Inter
omnes convenire, post hanc vitam sedes esse ani-
morum duas, damnatorum unam, alteram beatorum.
Caeterum quale tandem sit beatorum domicilium

cuius